



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis  
Disciplinis & religione Christiana**

**Regino <Prumiensis>**

**Parisiis, 1671**

437. Formata Episcoporum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

inventi fuerint, instruantur quām religiosē  
atque studiosē sacrū ministerium\* peragant,  
aut in quibus locis illud agere non debeat.

\* Edit. Hel-  
mestad. pera-  
gere

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Meld.  
ibid.

CCCCXXXVI. Clerici verò, si ab  
hujusmodi hominibus ad ordinandum offe-  
runtur, instrui debent ut ad Episcopos ex  
quorum parrœchiis sumpti sunt eos remit-  
tant, & aut ibi ordinentur, aut litteras cano-  
nicas ab Episcopo ex cuius dioceſi sunt ferant,  
ſicut canonica docet auctoritas.

Nicæna synodus hunc ordinem inter Epil-  
copos in faciendis epistolis conſer-  
vandum esse instituit.

Ivo par. 6.  
c. 433.

CCCCXXXVII. Græca elementa  
litterarum numeros etiam exprimere nullus,  
qui vel tenuiter Græci sermonis notitiam ha-  
bet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis  
canonicis, quas mos Latinus formatas appelle-  
rat, aliqua fraus falsitatis temerè præsumere-  
tur, hoc à patribus CCCXVIII. Nicæna  
constitutis saluberrimè inventum est & con-  
stitutum, ut formatæ epistolæ hanc calcula-  
tionis sive supputationis habeant rationem,  
id est, ut assumantur in supputationem prima  
Græca elementa Patris & Filij & Spiritus San-  
cti, id est, π, ρ, α. quæ elementa octogenari-  
um quadringentenarium & unum nume-  
rum servant. Petri quoque Apostoli prima  
littera, id est, π. qui numerus octoginta sig-  
nificat. Ejus qui scribit epistolam prima litte-  
ra; cui scribitur, secunda; accipientis, tertia;  
civitatis quoque de qua scribitur, quarta; &  
Indictionis, quæcumque est illius temporis,

numeris assumatur. Atque ita his omnibus litteris Græcis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unam, quæcumque collecta fuerit, summam epistola teneat. Addat præterea separatim in epistola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui secundum Græca elementa significant AMHN. Tres igitur prædictæ litteræ Græcæ, id est, Π, Τ, Α, & prima littera ex nomine Petri, id est, Π, D L X. & I. efficiunt numeros. Π enim, quæ est prima in nomine summi Patris, LXXX. numerat. Τ verò, quæ est prima in nomine Filij, CCCC. numerat. A verò, quæ prima est in nomine Spiritus sancti, unum indicat. Si addas Π, quæ in nomine Petri est prima, id est, LXXX. DLXI. reperies. AMHN verò, quod in fine prædictæ epistolæ scriptum est, XCIX. indicat. A enim unum, M, XL, H, VIII, N, L. numerant, qui XCIX. efficiunt numeros. Et si summam totam simul jungas, DC LX. epistola numeros tenet.

Sed propter minùs scientes ponenda videantur elementa ipsa Græca cum numeris propriis.

## GRÆCÆ LITTERÆ.

I. A. Alfa.	X. I. Iota.	C. P. Ro.
II. B. Beta.	XX. K. Cappa.	CC. C. Sigmā.
III. Γ. Gamma.	XXX. Λ. Lapda.	CCC. T. Tau.
IV. Δ. Delta.	XL. M. Mi.	CCCC. Υ. Ry.
V. E. Epi.	L. N. Ni.	D. Φ. Phi.
VI. Σ. Senon.	LX. Ζ. Xi.	DC. X. Chi.
VII. Ζ. Zeta.	LXX. Ο. O brevis.	DCC. Ψ. Psi.
VIII. Η. Eta.	LXXX. ΙΙ. Pi.	DCCC. Ω. O longa.
IX. Θ. Theta.	XC. Κ'. Cophe.	DCCCC. Ν'. Ennachos. Ε. hile.
		N ij

Numerant autem ita. mia , dia , tria , tesse-  
ra , pente , exa , epta , ogda , nea , deca , icosi ,  
triepta , serenta , nirenta , exenta , ebdominta ,  
ogdominta , enneminta , ecaton , diacos , te-  
tracos , pentacos , exacos , ebdacos , ogdacos ,  
ennacos , &c. [ *Ista sunt valde corrupta. Sed*  
*cum facile sit illa corrigere , nihil mutare vo-*  
*luimus.* ]

Exemplar epistolæ formatæ.

Ivo par. 6.  
c. 434.

C C C C X X X V I I I . In nomine n. Pa-  
tris & r. Filij & a. Spiritus sancti. Rathbodus  
sanctæ Treverensis Ecclesiæ ac plebis ipsius  
humilis famulus Rotberto reverendo sanctæ  
Metensis Ecclesiæ antistiti , in Christo palto-  
rum principe mansuram cum gaudio prosperi-  
tatis ac perpetuitatis glotiam. Decreta san-  
ctorum trecentorum decem & octo patrum  
Nicææ constitutorum saluberrima servantes,  
Deo dignam piämque fraternitatem vestram  
canonicè adgredimur , & sub nomine formatæ  
epistolæ reverenter vestram sanctitatem adi-  
mus , vobis scilicet intimando quia præsenti  
Presbytero nostro nomine Gislemaro has  
missorias dedimus litteras , quem in nostra  
diocesi ecclesiastice edicatum , de ordine cle-  
ricatus ad presbyteratus proveximus gradum,  
ut his canonicis munitis apicibus cum nostra  
licentia ei in vestra parrœchia sub defensione  
ac regimine vestre caræ dilectionis degere li-  
ceat ; illūmque in sinu sanctæ matris Ecclesiæ  
canonicè fovendum ac regendum vobis com-  
mittimus. Hanc ergo epistolam Græcis litteris  
hinc inde munire decrevimus , & anulo Ecclæ-